



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

69 Excommunicatus, & interdictus ministrans, duas irregularitates incurrit, quarum vna sine altera tolli potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO LVIII.

Ex conf. 63. alias 58.

58 **C**um suspensio ab officio generalior sit, quam suspensio a divinis, suspensus a divinis, illis intercedendo, pluriquam suspensus ab officio irregularis non erit, Ita Innoc. in c. si. de exco. prel. & Nau. in Man. c. 27. num. 163.

DECISIO LIX.

Ex conf. 64. alias 4. de cler. exco. ministr.

59 **E**piscopus a divinis suspensus, quamvis actus ordinis, & officij exercere non possit, & exercendo irregularitatem incurrit; c. 2. §. h. de re iud. in 6. Missam tamen, & officia divina audire, confiteri, communicare, non solum extra suam diocesim, sed etiam intra eam, immo intra ecclesiam cathedralem, ut quilibet alius Dominus laicus, potest, dum modo Missam coram se auctoritative celebrati non faciat.

DECISIO LX.

Ex conf. 65. alias 56.

60 **S**uspensus excommunicatus, vel interdictus ante denuntiationem evitandus non est, & iurisdictionem publicam valide exercere potest. Extra. ad evitanda Mart. V.

DECISIO LXI.

Ex conf. 66. alias 17. de cle. exco. ministr.

61 **S**uspensio, quae per concubinatum notorium incurritur, c. nullus, c. praeter. d. 32. c. scilicet in titulis, 15. q. 8. ipso iure per poenitentiam tollitur, c. si qui sunt, d. 81. & gl. ibi, & ait Nau. in Man. c. 25. nu. 77. & c. 27. nu. 154. irregularitas tamen orta, vel ex concubinato publico, vel ex celebratione publici fornicarii ipso iure per poenitentiam non tollitur, ita Nau. in Man. c. 25. num. 77.

DECISIO LXII.

62 **P**apa ab irregularitate nec absolvit unquam, nec ab ea facultatem absolvendi facere censetur; nisi id exprimat, etiam si in Bullis clausula illa, [Te a quibusvis censuris absolventes,] addatur.

DECISIO LXIII.

Ex conf. 67. alias 4. de corp. vitiat.

63 **C**lericus minorum ordinum, qui per infirmitatem, & aegritudinem omnes digitos utriusque pedis, exceptus pollicibus amittit, irregularis non efficitur, sed ad maiores ordines ascendere, & beneficium obtentum retinere potest; c. qui partem, c. si quis a medicis, & c. si quis in aegritudine d. 55. cum nullus defectus, partis membri irregularitatem quempiam reddat, nisi magnam deformitatem inducat, aut impotentem ad viendum ordinibus faciat, c. 2. de corp. vitiat. & Nau. in Man. c. 27. num. 298. & 306.

DECISIO LXIV.

Ex conf. 68. alias 41. de homicidio.

64 **Q**ui archibutium, rota non flexa, super scamno dimittit, & exinde aliquis ex rotae tactu occiditur, irregularitatem ex homicidio casuali, & dispensabili ob huiusmodi actum illicitum, & in non flectendo rotam commissam negligentiam incurrit, & Nau. in Man. c. 27. num. 219. & 239.

DECISIO LXV.

65 **S**uspensus ab Altaris ministerio, nulla facta mentione de fructuum receptione in sententia ab ordinario suo lata, fructus beneficii ante suspensionem, & irregularitatem questus, cuius neque titulum, neque administrationem fructuum, irregularitas superueniens tollit, ex Inn. in c. cum nostras, de concess. praeb. percipere potest; eo quod

suspensio, & suspensio ab altaris ministerio, res diversae sunt; Glof. in Clem. cupientes, de pen. a diocesis autem non fit illatio, l. Papinianus, ff. de minoribus, praetertim ad penam ampliandam, c. poena, de poenit. d. 1.

DECISIO LXVI.

Ex conf. 69. alias 12. de cler. exco. ministr.

66 **E**piscopus bona fide, & sine animo contraveniendi de decretis Concilij Tridentini, les. 6. c. 5. de refor. Pontificalia in aliena diecesi, ubi cum morari contingit, sine licentia Episcopi diecesis exercens, consecrando nimirum Calices, vel Corporalia suspensionem incurrit, & si postea celebret, aut alia munera episcopalia administret, irregularis efficitur.

DECISIO LXVII.

Ex conf. 70. alias 3. de cler. non ord. ministr.

67 **D**iaconus, qui ut talem se gerens, & non ut sacerdos, puerum solemniter baptizat, presente & annuente parochio quamvis in foro exteriori irregularis iudicari possit, quia praesumitur baptizasse tanquam presbyter, usurpando officium presbyteri, ex Nau. in Man. c. 27. num. 242. si tamen sine dolo, aut contemptu id faceret putans id sibi licere ex licentia parochi, in foro conscientiae irregularis non erit, Pan. in c. pastoralis, §. verum de appell.

DECISIO LXVIII.

Ex conf. 71. alias 6. de eta. & qual. ord.

68 **S**acerdos ante legitimam aetatem ordinatus, irregularis efficitur, & sicut interdictus ad Missam celebrandam, & alios quoscumque actus specialiter ordinibus deputatos inhabilis redditur, nec sine peccato in officijs, defunctorum, verbalia [Dominus vobiscum] aut orationes, quas presbyteri soli in huiusmodi officijs proferre solem, dicere potest, cum sui actus peculiares presbyterorum sint; sic tamen irregularis novam irregularitatem celebrando non incurrit, cum nullus irregularis celebrando contra iura, aut ministrando in officio, novam irregularitatem incurrat, Inno. recep. in c. si celebr. de cler. exco. ministr. & Nau. in Man. c. 27. num. 194. quamvis ante obtentam dispensationem celebrando mortaliter peccet. Argu. c. si. de tempor. ord. & c. inquisitionis, de accusat. quia irregularitas neque vera suspensio est, neque censura ecclesiastica, & ita celebrans illa irretegit nullam violat censuram, nec aliquid aliud, cuius violatio novam infligat irregularitatem, nemo autem sit irregularis, nisi in casibus a iure expressis, c. is qui, de sent. exco. in 6. & Nau. in Man. ca. 17. num. 194.

DECISIO LXIX.

Ex conf. 72. alias 15. de cle. exco. ministr.

69 **E**xcommunicatus, & interdictus celebrando duas irregularitates, seu unam ex duplici causa incurrit, arg. c. cum pro causa, de sen. exc. & c. ex parte, de offi. ordin. sed una sine altera tolli potest; cum non sit maior ratio, cur ex una, quam ex alia causa incuratur, dici autem non potest ex neutra incurri, sicut etiam qui contra duo precepta uno actu peccat, totidem peccata committit, quo precepta transgreditur, aut unum peccatum tot circumstantijs necessatio confitendum, quot precepta est transgressus; unde duplici dispensatione indiget, aut una ex duplici causa, & una sine altera tolli potest, sed tamen donec altera tollitur, sublacione alterius vii nequit, d. c. ex parte.

DECISIO LXX.

Ex conf. 73. alias 1.

70 **F**emina quamvis non iure communi, ex Papa tamen privilegio excommunicare, & praedicare, sicut & haec, potest, eo quod semina iurisdictione ecclesiastica habere potest, c. dilecta de maior. & obedi. c. dilecta. de excess. prelat. qui vero iurisdictionem ecclesiasticam habet, etiam si claves non habeat excommunicare valet, ex S. Th. 4. d. 18. q. 2. ar. 2. q. 2.